

tibus fundatam, supra diximus. Hæc igitur ratione præcipua Meteora Ignita sunt Ignis Fatuus, Ignis lambens, Draco volans, & Fulmen. *Ignis Fatuus est Meteorum Ignitum, candele ardentis & huc illucque errantis speciem representans.*

Ignis appellatur, quia verò igne eòq; visibili constat. Fatuus dicitur partim à moru, quia instar fatui modò huc, modò illuc tendit: partim ab effectu, quia hominibus, existimantibus, se in pago vicino conspiciere candelam translucentem per fenestram, imponit, sequentesq; & rectam deferentes viam in amnes aut paludes præcipitat. Materia ejus, ut omnium Meteororum Ignitorum, effluuium pingve ac sulphureum est. Unde conspicitur cum primis circa fodinas Metallicas, locos palustres, cœmiteria, patibula, macella & ubi hominum strages fuerunt editæ. Ibi enim exhalationes pingves in majori copia dantur, quod pabulum suum ignis ille persequitur. Et quamvis probabile sit, interdum etiam sæpè eum adesse, tamen, ob solis lumen, non apparet. Forma in eò consistit, quòd ardentem atq; errantem candelam representet. Cujus quidem motus erronei & instabilis variæ reddi possunt rationes. Sive enim in causa esse potest materia non continua, sicut, si diversos pyrii pulveris acervos disponamus, paucis inter singulos granis interjectis, videmus flammam, hòc absumptò, mox ad alium transilire. Sive aëris à vento commotio: ventus enim, ut alia leviora agit, ita & hunc ignem, leviter tantùm commotò aëre, cum materia sua facillimè propellere potest, ut modò sursum, modò deorsum, modò dextrorsum, modò sinisterorsum ruat. Possunt & aliquid præstare rores, nocte in hanc faciem decedentes, & eam deprimentes, contra quos illa levitate suâ resurgit, & sursum fertur. Ad formam hujus Ambulonis id quoque referendum est, quòd sequentes fugit, & fugientes persequitur. Causa est, quia accedentes

dentes